

**LIBER BULLARUM**

LIBER BULLARUM ET LITTERARUM APOSTOLICARUM CAPITULI ET  
CONUENTUS ARCHIEPISCOPATUS CIUITATIS SPALATENSIS<sup>517</sup>

**I.**<sup>518</sup>

**I.b**<sup>519</sup>

Bez datuma.

*Papa Grgur XI. daje ovlasti za prikupljanje dvogodišnje desetine u „krajevima Italije“ padovanskom biskupu fra Rajmundu, imenujući ga glavnim kolektorom. U obrazloženju potreba za novcem papinske kurije pismo se poziva na rat što ga je papa 1370. godine vodio s Bernabonom i Galeazzom Viscontijima, „tiranima“ iz Milana.*

Gregorius episcopus seruus seruorum dei venerabili fratri Raymundo episcopo Paduano apostolice sedis nuncio salutem et apostolicam benedictionem. Dudum videlicet XIII kalendis decembris pontificatus nostri anno primo<sup>520</sup> cum pro defensione terrarum Romane ecclesie sponse nostre et vt resisteremus persecucionibus, opprobacionibus et hostilitatibus ||<sup>fol. 9'</sup> filiorum iniquitatis Bernabonis et Galeacii de Vice comitibus fatrum tyrannorum Mediolanensium quas dicte Romane et aliis ecclesiis inferebant et nonnullos partes Italie cum poterant uexare et subiugare tyrannicis et diuersimodis presumebant et ut fideles populos de eorum tyrannichis seruitute liberaremus magna nos opporretet subire onera expensarum ad que ferenda prouentus camere prout existunt sufficere non valebant. Nos vias et modos rationabiles et honorabiles per quos onera ipsa facilius supportari ualerent cogitantes et reputantes equum et congruum ut dicta Romana ecclesia ab aliis ecclesiis et personis ecclesiasticis quarum ipsa est capud et quas huiusmodi concernebat prout concernit negocium in suis necessitatibus iuuaretur deliberacione firmiter hiis prehabita diligenter subsidium procuracionum ...<sup>521</sup> legato de latere ad quascumque partes Italie et eius insularum per sedem apostolicam destinato et inibi commoranti a locorum diocesanis et eorum clero et etiam a quibuscumque personis ecclesiasticis secularibus et

<sup>517</sup> Ovaj naslov je ispisan na gornjem dijelu prazne stranice, fol. 96.

<sup>518</sup> Fol. 9-10<sup>r</sup>.

<sup>519</sup> Dokument počinje na fol. 9.

<sup>520</sup> 20.11.1370.

<sup>521</sup> Ovako ostavljeno u izvorniku.

regularibus exceptis et non exceptis earundem parcium deuitarum usque ad tres annos a data ipsarum litterarum computandos ab illis qui procuraciones huiusmodi dicto legato soluere consueuerunt predictae camere nostre apostolice anno quolibet dictorum trium annorum pro media parte in annunciacionis beate Marie uirginis et pro alia parte in beati Michaelis festiuitatibus duximus imponendum, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem huiusmodi onera nondum sint sublata nec etiam diminuta licet ex eis dictus exercitus nonnullos prosperos successos eidem Romane ecclesie fuerit elargitus et cum largituris imposteris ex sui benignitatis speramus et propterea nos oporteat dictas personas ecclesiasticas in supportacione tantorum onerum iterum aggrauare decimam bienalem omnium fructuum, redditum, prouentuum ecclesiasticorum in omnibus huiusmodi partibus et insularum Italie consistencium per duos annos inchoandos a XV kalendis decembris proxime futuris et in antea computandos in suprascriptis terminis ab omnibus et singulis patriarchis, archiepiscopis et episcopis ceterisque prelatibus et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exceptis et non exceptis, huiusmodi redditus et prouentus in dictis partibus obtinentibus et obtenturis infra dictum bienium cuiuscumque preheminentie, gradus, status, ordinis uel condicionis existerent <sup>fol. 10</sup> pro secundo et reliquos tres pro tercio et perhemptori ac monicione canonica vobis et vestrum cuilibet assignamus.

### I.a

02.06.1375., u Zadru.

*Benedikt iz Venecije, od padovanskoga biskupa Rajmonda ovlaštenu subkolektor prihoda papinske kurije „u krajevima Slavonije“, to jest crkvenim provincijama Zadra, Splita, Dubrovnika i Bara, obznanjujući papinski mandat za prikupljanje dvogodišnje desetine, zahtjeva javnim proglasom/pismom izdanim u samostanu sv. Krševana u Zadru od crkvenih velikodostojnika rečenih nadbiskupija isplatu dužnoga novca pod prijeljnom kazne ekskomunikacije.*

Reuerendis in Christo patribus et dominis dominis ...<sup>522</sup> Iadrensi, Spalatensi, Ragusiensi et Antibarensi archiepiscopis eorumque vniuersis et singulis suffraganis ac vicariis et locum tenentibus eorundem necnon vniuersis et singulis abbatibus, prioribus, prepositis, archidiaconis, decanis, archipresbiteris, primiceriis, plebanis, canonicis, presbiteris et sacristis sancti Iohannis Ierosolomitani et sancte Marie Theotonicorum ordinum prioribus, preceptoribus et fratribus, aliisque vniuersis et singulis viris et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus exceptis et non exceptis cuiuscumque status, ordinis, dignitatis, grado, sexus aut condicionis existant et quocumque nomine censeantur dignitates, personatus, vicariatus officia monasteriorum et beneficiorum quecumque in prefatis prouinciis obtinentibus ad quos

<sup>522</sup> Ovako ostavljeno u izvorniku.

presens noster processus peruenerit quique firmiter in scriptis fuerint requisiti frater Benedictus de Veneciis ordinis beate Marie seruorum camere apostolice in partibus Sclauonie in Iadrensi, Spalatensi, Ragusiensi ac Antibarensi prouinciis et nonnullis aliis ciuitatibus et diocesis generalis vicarius subcollector et locum tenens per reuerendissimum in Christo patrem et dominum dominum Raymundum dei et apostolice sedis gracia episcopum Paduanum fructum, redditum, prouentum, censum, decimarum, subsidiorum et aliorum quorumcumque camere apostolice debitorum in predictis prouinciis et nonnullis aliis prouinciis et partibus Italie eiusdem sedis nuncium et collectorem generalem specialiter deputatus salutem in domino et mandatis nostris ymmo uero apostolicis firmiter obediretis. Pridem siquidem litteras serenissimi in Christo patris et domini nostri domini Gregorii de gracia dei prouidi pape XI mi sanas et integras, non viciatas, non cancellatas nec in aliqua sui parte suspectas sed omni prorsus vicio et suspicione carentes uera bulla plumbea ipsius domini nostri pape ad cordullam canapis more Romane ecclesie bullatas impossicionem et exactionis modum infrascripte bienalis decime continetur suprascriptum reuerendum patrem dominum Raymundum episcopum Paduanum collectorem superiorem nostrum cum ea qua decuit reuerencia recepisse noueritis sub hac forma:

*(slijedi bula pape Grgura XI. bez datuma)*

<sup>523</sup>Deinde uero eandem decimam biennem in terminis in suprascriptis litteris apostolicis prefixis et eciam assignatis secundum taxam beneficiorum si beneficia que obtinetis sunt taxata ad decimam, si uero non secundum communem extimacionem fructuum, reddituum et prouentuum beneficiorum que taxata alias non fuerunt, nobis ubicumque nos esse contingerit infra terminos subcollectorum nobis decreta aut domino episcopo Paduano collectori superiori nostro vestris periculis et expensis studeatis integre tradere et realiter consignare, alioquin nisi mandatis nostris ymo nostris apostolicis debitis paruueritis cum effectu, elapso dicto nouem dierum termino ac predictis terminis in prefatis litteris apostolicis ut premittitur assignatis, quosquidem terminos uobis et uestrum cuilibet pro omnibus dillationibus et terminis peremptorie ac monicione canonica assignamus uobis reuerendis patribus dominis archiepiscopis et episcopis quibus ob reuerenciam pontifficalium dignitatum deferimus ingressum ecclesie interdiciamus. In uos uero abbates, priores, prepositos, archidiaconos, archipresbiteros, decanos, primicerios, cantores, canonicos, sacristas et plebanos ac sancti Iohannis Ierosolomitani et sancte Marie Teothonicorum ordinum priores, preceptores et fratres aliosque uniuersos et singulos supradictos viros et personas ecclesiasticas cuiuscumque status, ordinis, dignitatis, gradus, sexus, nominis aut condicionis existant beneficia aliqua ecclesiastica siue ecclesias in supradictis prouinciis et partibus obtinentes seu habentes non perentes ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc executionis sententiam ferimus in hiis scriptis. Quid si huiusmodi interdicti ingressus ecclesie et prescriptos terminos litterarum apostolicarum per tres dies prefatos nouem immediate sequentes substinueritis uos et uestrum

<sup>523</sup> Ovaj dio teksta nastavlja se na fol. 10.

quemlibet non perentem in hiis scriptis suspendimus a diuinis, verum si huiusmodi interdicti et suspensionis sententias per alios tres dies dictos XII et predictos terminos in prefatis litteris apostolicis prefixos inmediate proxime secuturos animo quod absit substinueritis indurato ||<sup>fol. 10<sup>o</sup></sup> vos omnes vniuersos et singulos dominos ...<sup>524</sup> archiepiscopos et suffraganos antedictos dicta canonica monicione premissa ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc in hiis scriptis et per hec scripta excommunicationis sententiam innodamus. Ad quarum sententiarum publicacionem, aggrauacionem et reagruacionem ac fructuum et reddituum vestrorum benefficiorum sequestracionem procedemus prout iustum fuerit et a dicto domino collectore superiore nostro habuerimus specialiter in mandatis. Volumus autem et mandamus sub penis supradictis quas qui contrafecerit incurrat et incurere debeat ipso facto quod pro scripturis et laboribus huiusmodi nostri processus notario nostro infrascripto de vno ducato aureo et pro labore et salario latorum ipsius de medio ducato vestrum quilibet habeat prouidendum. Quem quidem processum (potest – *naknadno prekrizeno*) post vnus diei spacium intra quod copiam eiusdem recipere poteritis si eam habere uolueritis vestris tamen sumptibus et expensis dicto latori restitui volumus et mandamus, de cuius presentacione vobis fienda relacioni eiusdem nuncii nostri iurati absque alia probacione dabimus plenam fidem. In quorum testimonium presentem nostrum processum fieri et scribi fecimus per Victorem notarium nostrum infrascriptum et in actis nostre subcollectorie ad cautellam mandauimus registrari et nostri siggilli iussimus munimine roborari. Datum et actum Iadre in monasterio sancti Grisogoni, anno natiuitatis dominice Mmo IIIc Lo XXV, indiccione XIIIa, die secunda mensis iunii, pontificatus supradicti sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Gregorii diuina prouidencia pape XI<sup>mi</sup> anno quinto, presentibus reuerendis in Christo patribus dominis fratre Matheo die gracia episcopo Dalmatensi et fratre Boniohane supradicta gracia abbate monasterii sancti Michaelis de Monte Polensis diocesis testibus vocatis ad hoc specialiter et rogatis.

Ego Victor Guillermi de Torcello publicus imperiali auctoritate notarius ac officialis et scriba suprascripti domini subcollectoris premissis sentenciarum prolationibus et aliis omnibus et singulis suprascriptis vnacum prenominatis testibus dum ut premittitus agerentur et fieretur presens fui eaque de mandato eiusdem domini subcollectoris scripsi signum meum vna cum ipsius domini subcollectoris siggilli impressione consuetum apponerem in testimonium premissorum.

---

<sup>524</sup> Ovako ostavljeno u izvorniku.

II.<sup>525</sup>

## II.b

20.03.1377., u Rimu.

*Papa Grgur XI. zahtjeva od crkvenih velikodostojnika Ugarske, Poljske i Dalmacije kojima ovo pismo bude predočeno da pruže svaku pomoć i potporu njegovu nunciju, bolonjskome biskupu Bernardu, kojega je radi obavljanja stanovitih poslova uputio u „kraljevstva Ugarske, Poljske i Dalmacije“. Ujedno traži od njih da snose troškove Bernardova poslanstva u iznosu od 8 dukata dnevno za svaki dan koji tijekom svoga putovanja on provede na području njihove jurisdikcije.*

Gregorius episcopus seruus seruorum dei venerabilibus fratribus ... patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filii ... electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis, rectoribus et aliis ecclesiarum et monasteriorum prelati ipsorumque vices gerentibus et capitulis et conuentibus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus exceptis et non exceptis, cisterciensis, cluniacensis, cartusiensis, premonstransensis, camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ac domorum sancte Marie Theotonicorum et humiliatorum magistris, prioribus et preceptoribus per regna Vngarie, Polonie et Dalmacie constitutis ad quos presentes littere peruenerint salutem et apostolicam benedictionem. Cum venerabilem fratrem nostrum Bernardum episcopum Bononiensem apostolice sedis nuncium latorem presencialiter ad regna Hungarie, Polonie et Dalmacie pro certis arduis nostris et ecclesie Romane negociis pren...<sup>526</sup> destinemus vniuersitatem vestram rogamus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes quatenus eundem nuncium cum per partes vestras transitum fecerit ob reuerenciam dicte sedis apostolice et nostram benigne recipientes et honeste tractantes ipsi nuncio prosecutioni negotiorum huiusmodi insistenti diebus singulis inchoandis a data presenciarum usque ad finem regressum ad nostram presenciam in octo florenis auri pro sui et familiarum suorum expensis et necessariis et de securo conductu nec non de euencionibus opportunis si sue forsitan in via decesserint uel defeciunt aut alias fuerint impediti cum super premissis per eundem nuncium uel pro eius parte fueritis requisiti vobis tamen quam primum commode fieri poterit ouencionibus restituendis eisdem liberaliter prouidere curetis. Et si eundem nuncium in aliquibus terris siue locis vestris ex aliqua iusta causa moram trahere forte contingerit volumus quod non solum vos prelati et persone ecclesiastice terrarum et locorum ipsorum sed etiam vos patriarche, archiepiscopi, episcopi, electi, abbates, priores, decani, prepositi, archidiacones, ||<sup>fol. 126</sup> archipresbiteri, plebani, rectores et alii ecclesiarum et monasteriorum prelati seu vicesgerentes ac persone ecclesiastice quecumque religiose et seculares ac ecclesiarum et monasteriorum capitula et conuentus exempti et non

<sup>525</sup> Fol. 126-127.

<sup>526</sup> Riječ je dalje nečitka.

exempti cisterciensis, cluniacensis, cartusiensis, premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum quorumcumque necnon beate Marie Theotonicorum et humiliatorum magistri, priores et preceptores vicinarum et aliarum ciuitatum et diocesarum circumpositarum sicut idem nuncius pro huiusmodi diuidendis et facilius subportandis honoribus expedire uiderit in prouisionibus et subuencionibus huiusmodi contribuatis sic itaque mandatum nostrum huiusmodi efficaciter adimplere curetis quod deuocionem uestram commendare merito valeamus, alioquin sententiam quam idem nuncius per se uel alium rite tulerit in rebelles super quo ipsi plenam concedimus tenore presencium facultatem ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfaccionem condignam inuiolabiliter obseruari non obstantibus si uobis aut aliquibus aliis communiter uel diuisim a sede sic predicta indultum quod nuncii sedis eiusdem procuracionem aliquam exhibere uel in ipsa contribuere nisi ad nos declinauerint minime teneamini et ad compelli aut quod interdici, suspendi uel excommunicandi non possitis per litteras apostolicas que de indulto huiusmodi ac toto eius tenore plenam et expressam non fecerint mencionem et quibuslibet priuilegiis et indulgenciis quibuscumque locis, personis et ordinibus sub quacumque forma uel expressione uerborum ab eadem sede concessis de quibus quorumcumque eorum tenoribus in nostris litteris mencio sit habenda et per que presentes ....(?) nostri effectus quamlibet valeat impediri. Ceterum cupientes uestris indebitis super hiis grauaminibus obuiare uelimus quod idem nuncius si quid non credimus a uobis seu aliquo uestrum pro premissis receperit vltra quoniam superius sit expressum illud eis a quibus id acceperit infra duos menses post recepcionem huiusmodi cum integritate restituat quod si neglexerit adimplere huiusmodi indebite receptum uobis restituere et tantumdem de suo soluere teneatur et nichilominus incurat execucionis sententiam ipso facto a qua nisi facta prius restitutione ac solutione siue remisione quacumque non possit absolucionis beneficium obtinere. Et insuper volumus et mandamus quod postquam prefatus nuncius cessauerit uacare negociis prelibatis singuli uestrum fratres patriarche, archiepiscopi quicquid uos pro mensis et subditis uestris et suffraganei uestri pro mensis et subditis eorum pro stipendiis prefatis solueritis et soluerint de quibus uos sufficienter informare curetis infra trium mensium spacium curetis nobis per litteras uestras uel instrumenta publica et quia sepe ad nos de diuersis partibus sunt prolate querele quod nonnulli locorum ordinarii per procuracionibus legatorum et huiusmodi stipendiis nunciorum dicte sedis et aliis omnibus que <sup>fol. 127</sup> interdum per sedem ipsam ex causis rationalibus et neccessariis personis ecclesiasticis imponuntur non solum ratam de predictis eosdem ordinarios per mores eorum rationabiliter contingentem non soluunt sed ab eisdem personis plus exigunt quam ille pro hiis soluere teneantur. Nos hanc iniquitatem extirpare uolentes uobis patriarche, archiepiscopi et episcopi tenore presencium districte precipiendo mandamus sicut etiam consuetum est mandari in litteris apostolicis super premissis confectis quod huiusmodi ratam uos contingentem integre persoluatis nec a quibuscumque personis ecclesiasticis uestrarum ciuitatum et diocesarum pro predictis recipiatis plusquam secundum antiquam seu aliam rationabilem ratam seu taxationem suorum prouentum ecclesiasticarum soluere te-

neantur, alioquin contrarium presumentes similis execucionis sententia innodamus a qua non possint absolui nisi ea que sic indebite receperint infra vnum mensem a recepcione ipsa cum presentandum restituerit integre cum effectu, quod si non fecerint huiusmodi recepta indebite et tantundem de suo ut in alio casu continetur superioribus illis a quibus ea receperint restituere teneantur. Datum Rome apud sanctum Petrum XIII kalendis aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

## II.a

Bez datuma.

*Bolonjski biskup Bernad, papinski nuncij kojega je Grgur XI. uputio u „kraljevstva Ugarske, Poljske i Dalmacije“, objavljujući papinski nalog kojim mu se daje to pravo, zahtjeva pod prijetnjom kazne ekskomunikacije od nadbiskupa zadarskoga i splitskog te od biskupa kninskoga i krbavskoga podmirenje troškova svoga putovanja. Od zadarskoga nadbiskupa potražuje 75 dukata, od splitskoga nadbiskupa 85 dukata, pri čemu od te kontribucije oslobađa nadbiskupove sufragane u Kninu i Krbavi, od kninskoga biskupa 22 dukata te od krbavskoga biskupa 10 dukata.*

Reuerendis in Christo patribus dominis dei gratia ... Iadrensi et Spalatensi archiepiscopis eorumque suffraganis necnon ... Tiniensi et ... Coruaniensi episcopis ac vniuersis et singulis dominis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis, rectoribus et ecclesiarum et monasteriorum prelatibus ipsorumque vicesgerentibus ac capitulis ecclesiarum et monasteriorum ipsorum<sup>527</sup> ceteris personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus exceptis et non exceptis, cisterciensis, cluniacensis, cartusienis, premostratensis, camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ac domorum sancte Marie Theothonicorum et humiliatorum magistris, prioribus et preceptoribus per Iadrensem, Spalatensem, Tiniensem et Coruaniensem ciuitates et prouinciis constitutis et eorum cuilibet, Bernardus eadem gratia episcopus Bononiense apostolice sedis nuncius salutem in domino. Sane sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Gregorius diuina prouidencia papa XI<sup>mus</sup> pro certis arduis ipsius et Romane ecclesie negociis ad Vngarie, Polonie et Dalmatie regna nos (ad – *naknadno prekriženo*) destinans suas apostolicas litetras nobis concessit in hec uerba:

*(Slijedi dokument III.b)*

Cim igitur circa persecucionem negociorum huiusmodi per ciuitates, dioceses et prouincias vestras supradictas per XXti III<sup>or</sup> dierum spacium et amplius eundo et reddeundo et stando moram trahere neccessario habuimus vos dominos archiepiscopos et episcopos aliosque omnes et singulos supradictos quibus presens noster processus dirigitur auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte requirimus et mone-

<sup>527</sup> Slijedi naknadno prekrižena i nečitljiva riječ.



mus primo, secundo, tercio et perhemptorio comuniter et diuisim vobis nichilominus in virtute sancte obediencie et sub penis infrascriptis discrete precipiendo mandamus quatenus infra XV dierum spacium a tempore notificacionis presentis vobis facto computandorum quorum quindecim dierum V pro primo, V pro secundo et reliquos V dies vobis vniuersis et singulis pro tercio et peremptorio termino ac monicione canonica assignamus videlicet vos supradicti domini archiepiscopi Iadrensis et suffraganei vestri ceterique prelati et persone ecclesiastice per ciuitatem, diocesim et prouincias vestras constituti septuagintaquinque ac Spalatensis et suffraganei vestri ac prelati et persone ecclesiastice per vestras ciuitatem, diocesim et prouincias constituti vobis dominis Tiniensi et Coruaniensi episcopis ac clero et subditis vestris dum taxat exceptis quo ad obuiandum cautelis friuolis que machinari possent ad partem taxare volumus octuagintaquinque. Vos uero domini Tiniensis ac prelati et persone ecclesiastice alii per vestras ciuitatem et diocesim consistentes viginti duos et Coruaniensis episcopus ceterique prelati et persone ecclesiastice per ciuitatem et diocesim <sup>fol. 127<sup>v</sup></sup> vestras constituti decem florenos auri in quibus nobis pro nostris et familiarum nostrorum expensis et necessariis tenemini quousque per vos proporcionabiliter secundum antiquam seu aliam rationabilem ratam seu taxam vestrarum ecclesiarum prouentuum persolui volumus venerabili viro domino Antonio de Castro prouincie patrimonii vicario dicti reuerendi patris domini archiepiscopi Iadrensis seu illi uel illis cui uel quibus ipse mandauerat nomine nostro persoluatis et realiter assignetis, alioquin in vos omnes et singulos supradictos nostris monicionibus et mandatis ymmo uero apostolicis non parentes cum effectus vobis dominis archiepiscopis et episcopis dum taxat exceptis ex nunc prout ex tunc (et ex nunc prout ex tunc – *naknadno prekriženo*) et ex tunc prout ex nunc dicta XV dierum canonica monicione premissa execucionis uinculo innodamus et in capitula et conuentus vestros suspensionem a diuinis ac in ecclesiasticas litteras tam cathedrales quam alias quascumque et monasteria uestra interdicti sentencias<sup>528</sup> ferimus in hiis scriptis. Vobis autem dominis archiepiscopis et episcopis quibus ob<sup>529</sup> uestrarum pontificalium dignitatum reuerenciam de forro uolumus in hac parte si huiusmodi monicionibus et mandatis ymmo pocius apostolicis non parueritis cum effectu prefata quindecim dierum canonica monicione premissa ingressum ecclesie interdicimus in hiis scriptis, si uero huiusmodi interdictum per alios XV dies prefatos quindecim dies immediate sequentes sustinueritis vos suspendimus a diuinis, verum si dictas interdicti et suspensionis sentencias per alios quindecim dies prefatos triginta immediate sequentes animo quod absit sustuleritis indurato in vos eadem monicione preuia excomunicacionis sentenciam ferimus in hiis scriptis et omne promulgamus. Ceterum vobis dominis archiepiscopis et episcopis per quos dicte florenorum quantitates absque expensis magnis comodius colligi valent ut eas iuxta predictarum litterarum apostolicarum continenciam inter prelatos, clerum et personas ecclesiasticas uestrarum ciuitatum et diocesarum supradictos distribuere ac eos ad solucionem ratarum et expensarum per vos (in – *naknad-*

<sup>528</sup> Slijedi prekrižena riječ koju nije moguće pročitati.

<sup>529</sup> Prvotno je bilo napisano *ab*, no *a* je prekriženo a iznad njega je dopisano *o*.

*no prekrizeno*) pro collecta huiusmodi racionabiliter fiendarum ipsos contingencium censura ecclesiastica auctoritate predicta compellere et ratas ipsas ab eisdem recipere et de receptione quitare ac eos si qui forte excommunicationis sententiam propter non solutionem ratarum huiusmodi in termino incurerint absoluere, vobis autem domino Antonio vicario supradicto ut premissas florenorum quantitates vna cum expensis per vos pro collecta ipsorum racionabiliter fiendis a prefatis dominis archiepiscopis et episcopis nomine nostro exigere et recipere ac ipsos ad solutionem eorundem simili censura iam dicta auctoritate compellere et de receptione per vos eosdem quitare valeatis tenore presencium concedimus facultatem et committimus vices nostras donec eas ad nos duximus reuocandas.

### III. III.a<sup>530</sup>

08.12.1380., u Zoliu.

*Kralj izvješćuje splitski kaptol i splitsku općinu da je, sukladno njihovoj molbi, a nakon odstupanja dotadašnjega opata Nikole, benediktinsku opatiju sv. Stjepana de Pinis odlučio podijeliti Nikoli pok. Marka iz Splita. Ujedno ih izvješćuje da je na papinskoj kuriji pokrenuo postupak potvrde toga izbora, a novome opatu istim pismom predaje opatiju na upravu dok ne dobije potvrdu s papinske kurije.*

Copia quarundam literarum regalium

Lodouicus dei gracia rex Ungarie, Polonie, Dalmacie etc. fidelibus suis honorabilibus viris capitulo Spalatensi necno iudicibus et comunitati ciuitatis Spaleti salutem et gratiam. Noueritis quod nos petitionibus uestris quas nobis pro venerabili fratre Nicolao condam Marci de dicta Spaletio ordinis sancti Benedicti cum laudabili testimonio ipsius obtulistis annuium et eidem fratri Nicole de abbatia sancti Stephani de pinis Spalatensis diocesis per amotionem et legitimum depositionem quondam fratris Nicolai de dicta abbacia uacante prouidimus et pro ipsius confirmatione domini summo pontifici direximus litteras et preces nostras dictoque fratri Nicole Marci donec sibi prouiso per dominum papam facta fuerit regimen et gubernationem duximus presentibus comittendo. Datum Zolii die VIII mensis decembris, anno domini Mo CCCo LXXXo.

<sup>530</sup> Fol. 43. Na jednome listu papira kojemu nedostaje donji dio nalaze se jednostavne kopije, doduše svečano i pozorno ispisane, pisama kralja Ludovika i njegove žene, mlade kraljice Elizabete, a iznad samoga teksta tek je naznačeno da se radi o kopijama. Kako donjega dijela lista nema, tako ni pismo mlade kraljice Elizabete nije sačuvano u cijelosti. Ludovikovo je pismo objavljeno u: DZ XVI, 139, br. 127, s grubom grješkom u titulu (*rex Ungarorum* umjesto *rex Ungarie*), a prema prijepisu u „registru samostana sv. Stjepana u Splitu koji se nalazi u Biblioteci Marciani u Veneciji“. Papinska bula kojom je 3. veljače 1382. Nikola pok. Marka potvrđen za opata objavljena je također u: DZ XVI, 266-267, br. 218, a ovdje je donosim kao II.c po prijepisu (fol. 124) napravljenom zacijelo za *Liber*, pa valja pretpostaviti kako su i ova pisma kralja i kraljice tvorila cjelinu s kasnijom papinskom bulom. Iako raštrkani u današnjem „registru“, ovi dokumenti daju naslutiti kako je izvorno bio organiziran *Liber Bullarum*.

**III.b**

(neutvrdivi datum)

*Pismo je gotovo istoga sadržaja kao i gornje kraljevo pismo, s time da se kao auktor pojavljuje mlađa kraljica Elizabeta, žena kralja Ludovika.*

Copia quarundam literarum reginalium

Elizabeth dei gracia iunior regina Vngarie, Polonie, Dalmatie etc. fidelibus suis honorabilibus viris capitulo Spalatensis necnon iudicibus et comunitati ciuitatis Spaleti salutem et gratiam. Noueritis quod dominus noster rex et nos petitionibus uestris quas nobis pro venerabili fratre Nicolao condam Marci de dicta Spaletio ordinis sancti Benedicti cum laudabili testimonio ...<sup>531</sup>

**III.c**<sup>532</sup>

03.02.1382., u Rimu.

*Papa Urban VI. potvrđuje Nikolu Markovog na mjestu opata benediktinskoga samostana sv. Stjepana Pod Borovima.*

Vrbanus episcopus seruus seruorum dei dilecto filio Nicolao Marchi abbati monasterii sancti Stephani de pinis ordinis sancti Benedicti Spalatensis diocesis salutem et apostolicam benedictione. Solitudinis studium circha diuersa que agenda nostris incumbunt humeris est illud potissimum ut circha ecclesiarum et monasteriorum omnium statum et illorum maxime que sunt pastorum regiminibus destituta sic sollicita diligencia intendamus quid ecclesie et monasteria eandem nostre operacionis studio superni fauoris auxilio suffragante preseruentur a noxiis et prosperitatis uotiuue sucessibus gratulentur. Dudum siquidem quondam Nicolao abbate monasterii sancti Stephani de pinis ordinis sancti Benedicti Spalatensis regimini eiusdem monasterii presidente nos cupientes ipsi monasterio cum uacaret apostolice sedis prouidenciam utilem et ydoneam presidere personam prouisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre ea uice duximus specialiter reseruandam decernentes ex tunc irritum et inane si secus super hiis per quoscumque qua uis auctoritate scienter uel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum uero dicto monasterio per obitum ipsius Nicolay abbatis qui extra Romanam curiam diem calulit extremum uacante nos uacacione huiusmodi fide dignis relatibus intelecta ad prouisionem ipsius monasterii celerem et felicem de qua nullus preter nos hac uice se intromitire potuit neque potest reseruacione et decreto pbsistentibus suppradicti ne monasterium ipsum longe uacacionis exponeretur incomodis paternis et sollicitis studiis intendentess post deliberacionem quam de preficiendo eidem monasterio

<sup>531</sup> Ovdje se tekst prekida obzirom na to da donji dio lista nedostaje. Vidljivo je tek toliko da taj dio nije odrezan, ali ostaje nejasno zašto nedostaje i kako je došlo do trganja.

<sup>532</sup> Fol. 124.

personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad te monachum dicti monasterii ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum cui de religionis zelo, literarum sciencia, .... mundicia, honestate morum spiritualium prouidencia et temporalium circumspecione alliisque multiplicium uirtutum meritis apud nos fide digna testimonia perhibentur direximus oculos nostre mentis quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigencia meritorum accepta de eorundem fratrum consilio eidem monasterio auctoritate apostolica prouidemus teque illi preficimus in abbatem curam et sministracionem ipsius monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie comitendo in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes quid dirigente domino actus tuos prefatum monasterium per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa volumus autem quid solitus monachorum et ministrorum numerus in dicto monasterio nullatenus miniatur quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus onus regiminis dicti monasterii reuerenter suscipiens sic te in eius cura salubriter exercenda fidelem sxhybeas et eciam fructuosum quid idem monasterium per laudabile tue diligencie studium gubernatori prouido et fructuoso administratori gaudeat se comissum tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi mereatur. Datum Rome apud sanctum Petrum III nonis februarii pontificatus nostri anno quarto.

**IV.<sup>533</sup>**

**IV.b**

Bez datuma.

*Izvadak iz papinske bule kojom se ustanovljuje obveza plaćanja posebnoga trogodišnjeg doprinosa crkvenih institucija u nadbiskupijama Aquileje, Grada, Ravene, Milana, Zadra, Dubrovnika, Splita i Bara papinskoj kuriji zbog troškova nastalih iz crkvene shizme.*

Vrbanus episcopus seruus seruorum dei dilecto filio Viuiano priori monasterii sancte Marie de Veneciis per priorem soliti gubernari ordinis cruciffferorum Castelanaensis diocesis apostolice sedis nuncio (apstolic – *naknadno prekriženo*) salutem et apostolicam benediccionem. Non nullorum peruersorum a quorum oculis dei timor absesit et quorum vie peruerse sunt et infames gressus eorum sic excrescit dampnata et precipue in partibus Italie dampnata presumptio quo ipsi velut alieni filii per cecitatis deuium oberantes Romanam ecclesiam matricem cunctorum fidelium et magistram iniuriis et dampnis afficere eiusque terras, bona et iura occupare et inuadere et sisma in dei ecclesia ponere et fidem catholicam quantum in eis est inficere ac

<sup>533</sup> Fol. 11-12.

deprauare non uerentur. Ad quorum insolentias refrenandas et predictorum deffensionem ac recuperationem terrarum et bonorum et iurium prout debitum nostri requirit officii tot et tanta de presenti nos subire oportet honera expensarum quod ad illa ferenda prouentus nostre camere in quam omnino pecuniis exhaustam reperimus sufficere non possunt quod nos Ansie cogitantes et uias ac modos rationabiles et honestos quid necesse supportationi huiusmodi honerum ualeamus sufficere sollicite perquirentes et reputantes equum et congruum ut dicta Romana ecclesia ab aliis ecclesiis et personis ecclesiasticis quarum ipsa est caput in suis necessitatibus adiuuetur deliberatione super his prehabita dilligenti decimam omnium reddituum et prouentuum ecclesiasticorum in Aquilegiensi, Gradensi, Rauenatensi, Mediolanensi, Iadrensi, Ragusiensi, Spalatensi et Antibariensi prouinciis consistentium per tres annos a uiginta prima die mensis iunii proxime ventura inchoandos et continue subsequentes in subscriptis terminis singulis annis dictorum trium annorum soluendam et etiam exigendam ab omnibus et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ceterisque prelati et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis huiusmodi redditus et prouentus in predictis prouinciis obtinentibus et infra dictum trienium obtenturis cuiuscumque preheminentie, dignitatis, status, religionis, ordinis uel conditionis existant, quibus aut eorum alicui nulla priuilegia aut indulgentias sub quacumque uerborum forma uel expressione concessa quo ad hoc uolumus suffragari, preterquam a uenerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus huiusmodi redditus et prouentus in dictis prouinciis obtinentibus et obtenturis in posterum qui nobiscum asidue indefessis laboribus onera uniuersalis ecclesie sorciuntur.

#### IV.a

06.05.1383., u Veneciji.

*Papinski opunomoćenik Vivian de Sancto Severino nalaže prelatima i nižim crkvenim dužnosnicima nadbiskupija u Zadru, Splitu, Dubrovniku i Baru da, uz podmirenje odgovarajućih troškova, registriraju njegov poziv za podmirenje obveze doprinosa papinskoj kuriji Urbana VI. Registrirani proglas je trebalo obznaniti svim klericima a u njega je inseriran i dio papinske bule kojom je Vivian autoriziran za prikupljanje toga doprinosa.*

Reuerendissimis in Christo patribus et dominis dominis ...<sup>534</sup> permissione diuina Iadrensis, Spalatensis, Ragusiensis et Antibarensis archiepiscopis necnon reuerendis in Christo patribus et dominis dominis Absarensis, Veglensis, Arbensis, Segnensis, Nonensis, Traguriensis, Sibinicensis, Scardonensis, Farensis, Albensis, Crohacensis, Corbauiensis, Tiniensis, Catarensis, Spatensis, Stagnensis, Bosnensis, Tribunensis, Rasensis uel Barensis, Biduanensis, Dulcinensis, Suacinensis, Scutarensis, Driuastiensis, Polatensis maiori, Arbanensis, Polatensis minori et Balacensis episcopis vestrisque in spiri-

<sup>534</sup> Ovako ostavljeno u izvorniku.

tualibus et temporalibus vichariis et vice gerentibus, ac abbatibus, prioribus, abbatissis, priorissis, capitulis et conuentibus ecclesiarum et monasteriorum, archidiaconis, archipresbiteris, prepositis, decanis, primiceriis, plebanis, canonicis et ecclesiarum ministris et rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis ciuitatum et diocessum predictorum dominorum archiepiscoporum et episcoporum ad quos presencius noster processus seu eius notitia peruenerit. Frater Viuianus de sancto Seuerino ordinis cruciferorum generalis magister apostolice sedis nuncius et generalis collector fructuum, reddituum, prouentuum, censuum, decimarum et aliorum quorumcumque in suprascriptis et aliis certis locis camere apostolice debitorum auctoritate apostolica specialiter deputatus in domino et martiris nostris. Ymo verius apostolicis firmiter obedire litteras sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani diuina prouidencia pape VI<sup>ti</sup> eius vera bulla plumbea ad cordulam canapis more Romane curie bullatas non viciatas, non cancelatas, non abollitas, non abrasas nec in aliqua sui parte suspectas set omni prorsus vitio et suspicione carentes nos dudum dum essemus prior monasterii sancte Marie de Veneciis dicti nostri ordinis cruciferorum Castelanis diocesis cum ea que decuit reuerentia recepisse noueritis sub hac forma:

*(slijedi papinsko pismo bez datuma, dokument IV.b)*

Necnon et dilectis filiis hospitalis sancti Iohannis Ierosolomitani mandamus tenore et auctoritate premissis quatenus usque ad X dies a presentatione presentis nostri processus uobis et eis ac uestrum et eorum cuilibet facta proxime numerandos quem terminum uobis et eis ac uestrum et eorum cuilibet pro primo, secundo, tercio et peremptorio terminis ac monitione canonica assignamus cleris uestris et suprascriptis abbatibus, prioribus, abbatissis, priorissis, archidiaconis, archipresbiteris, prepositis, decanis, primiceriis, plebanis, canonicis et ecclesiarum rectoribus et ministris ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus exemptis et non exemptis in vestris ciuitatibus et diocesis constitutis suprascriptas decimas et impositiones et presentem nostrum processum insinuetis, intimetis et notificetis, vestris tamen et eorum sumptibus et expensis quem etiam presentibus intimamus eisdem ut de eis et contentis in dicto processu non possint ignorantiam pretendere quoquo modo nec pretextu ignorantie se ualeant excusare. Volumus etiam et vobis dominis archiepiscopis et episcopis ac vestris vichariis sub eisdem penis mandamus ut vestrum, quilibet vestris et cleri vestri sumptibus et expensis de vno floreno auri notariis nostris qui presentem processum scripserunt pro eorum labore et nuncio latori eiusdem pro suis expensis et labore de vno floreno auri habeant prouidere, verum si contingeret vos uel vestrum aliquem predictum nuncium pro copia dicti processus quem illa habita sibi illico restituetis habenda rettinere quam uobis decreuimus vestris tamen sumptibus et expensis eidem nuncio pro sui salario et expensis taxamus dimidium florenum auri per vos eidem nuncio soluendum singulis diebus quibus vos dictum nuncium contigerit rettinere. Absolutionem omnium et singulorum que prefatas nostras sententias uel earum aliquam incurrerint quoquo modo nobis et successoribus nostris uel superiori nostro tantummodo reseruata. In

quorum testimonium presentem nostrum processum (quem – *naknadno prekríženo*) etc. Datum et actum Veneciis etc. anno domini Mo IIIc LXXXIII, indiccione VIa, die sexto mensis maii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani diuina prouidentia pape VI anno VIo.

#### IV.c<sup>535</sup>

25.09.1383., u Splitu.

*Splitska općina izdaje svjedodžbu o ispravnosti akta koji je izdao tamošnji zaprisegnuti bilježnik Jakov pok. Ubertina de Pugliense iz Piacenze, a kojim splitski kaptol imenuje svojim pravnim zastupnikom pred papinskim opunoćenikom Vivianom de Sancto Severino kanonika Dujma Nikolinog.*

Vniuersis et singulis ad quos presentes peruenerint tenore presencium facimus manifestum nos Stephanus Stephani vicarius et ...<sup>536</sup> iudices ciuitatis Spaleti quod Iacobus filius condam Vbertini de Puglienses de Placencia qui in presenti millesimo trecentesimo octuagesimo tercio, indiccione sexta, die martis vigesimo secundo mensis septembris scripssit et in publicam formam redigit vnum instrumentum procuratorium inter cetera continens qualiter venerabiles et circumsperti viri canonici et capitulum Spalatensis ecclesie pro se ipsis et vice et nomine dicte Spalatensis ecclesie et omnium aliorum clericorum constituerunt prouidum et discretum virum dominum Duymum Nicole canonicum Spalatensem etc. suum procuratorem specialiter ad comparandum et se presentandum coram reuerendo in Christo patre et domino Vivuiano de sancto Seuerino ordinis cruciferorum generali collectore etc. prout sic et aliter continetur in dicto instrumento procuratorio est verus, bonus, legalis et vsualis notarius et nostre curie iuratus artemque publice notarie exercet in ciuitate nostra Spaleti et eius scripturis et instrumentis adhibetur plena fides. In quorum omnium testimonium has presentes litteras fieri iusimus et sigilli nostri communis impressione comunimus. Datum Spaleti die XXV septembris, MCC-CLXXXIIIo, sexta indiccione.

<sup>535</sup> Fol. 55. Ovdje je riječ o originalnome dokumentu što je izdan u ime splitske općine. Pisan je na papiru, koji se razlikuje od onoga koji tvori glavninu kaptolskoga registra, a taj papir ima i vodeni znak koji se razlikuje od ostalih vodenih znakova, dok je ispod teksta djelomično sačuvan u crveni vosak utisnuti pečat splitske općine. Iako se odnosi na kaptolske poslove, čini se da je dokument bio priređen za prepisivanje u *Liber Bullarum* jer se odnosi na imenovanje kaptolskoga pravnog zastupnika u poslovima s papinskim ovlaštenikom za prikupljanje naznačenoga prihoda (vidi ovdje br. IV.b i IV.a).

<sup>536</sup> Ovako ostavljeno u izvorniku.

V.<sup>537</sup>

27.03.1412.  
(14.02.1412., u Budimu)

*Splitski javni bilježnik Jakov de Penna registrira po zahtjevu tamošnjega kaptola nalog kralja Sigismunda izdan u Budimu. Tim nalogom kralj, temeljem patronatskoga prava nad crkvama u svome kraljevstvu, nalaže vraćanje Andrije Gualdo na mjesto splitskoga nadbiskupa i predaju svih dobara i prava koja proizlaze iz nadbiskupskoga položaja istome, prijeteći intervencijom svjetovnih vlasti ukoliko njegov nalog ne bude proveden.*

Sigismundus<sup>538</sup> (Dei gracia Rom).....(gustus ac) Hunariae etc. (Rex. Fidelibus).....(ffraganeis) ecclesie Spalatensis eorumque vica(riis seu).....(Ca)pitulis, abbatibus et aliis quibuscumque p(ersonis).....ous cuiuscumque gradus, status, ordinis, dignitatis et .....s in ciuitatis, dyocesis et prouincia ecclesie Spalatensis constitu.....ibus et in futurum constituendis signanter rectoribus, iudicibus ..... consiliis ciuitatum nostrarum Traguriensis et Sibenicensis salutem et gratiam. Quia nos fidelem nostrum reuerendissimum in Christo patrem dominum Andream archiepiscopum Spalatensem leguque doctorem et neminem alium omnino volumus haberi, teneri, reueri et reputari pro vero archiepiscopo Spalatensi ideo fidelitati vestre et vestrum cuilibet firmissime precipimus de precisa et omnimoda voluntate nostra mandamus quatenus confestim receptis presentibus quibuscumque aliis et specialiter quodam Doymo alias archidyacono Spalatensi ac Petro de Pago episcopo Faentino qui diuersis viis et modis per dictum archiepiscopatum occupando et occupare volendo se ipsos in preiudicium nostri iuris patronatus et eiusdem domini Andree archiepiscopi Spalatensis iugerre moliuntur de eodem ab eodem archiepiscopatu et totali eius vniuersorum bonorum et iurium ac pertinentiarum suorum dominio et possessione amotis et exclusis de cetero eundem dominum Andream archiepiscopum vti verum pastorem et archiepiscopum dicte Spalatensis ecclesie vestrumque metropolitanum uel ipsius homines et procuratores suo nomine in omnimodam et realem possessionem et dominium eiusdem archiepiscopatus et cunctorum suorum iurium et bonorum vbilibet existentium ac suarum pertinentiarum recipere et admictere et in eisdem manutenere, conseruare et protegere signanter contra prefatos Doyum et Petrum episcopum Faentinum sibique et nemini alteri suo uel alterius nomine in cunctis licitis debitam reuerentiam et obedientiam exhibere et exhiberi facere auctoritate et in perssona nostre maiestatis presentibus vobis attributa mediante debeatis a modo in futurum de vniuersis fructibus, prouentibus, emolumentis ac obuentioni-

<sup>537</sup> Fol. 120.

<sup>538</sup> List na kojem se nalazi ovaj dokument znatno je oštećen u gornjem dijelu, a to je oštećenje postojalo kad je netko taj dokument još u 18. stoljeću prepisivao za Dominica Farlatija koji ga je svojedobno i objavio. Uglavnom, ono što je bilo vidljivo u 18. stoljeću a što nije vidljivo danas, prenosim prema Farlatijevom izdanju u zaporkama.



bus quibuscumque ipsius archiepiscopatus et ecclesie aut quarumlibet aliarum vtilitatum et pertinentiarum suarum eidem domino Andree archiepiscopo uel dictis suis procuratoribus eius nomine et nemini alteri suo uel alterius nomine petenti et postulanti locis et temporibus debitis et oportunitis semper plenarie et integraliter respondentes et per hos quorum interest aut interesse poterit quomodolibet in futurum responderi facientes, non obstantibus quibuscumque bullis et literis seu aliis quibusuis processibus in preiudicium nostri iuris patronatus uel eiusdem domini Andree archiepiscopi Spalatensis procuratis et inpetratis seu in posterum procurandis et inpetrandis et aliud in premissis sub optentu nostre gracie non facturi, alioquin si secus feceritis quid non credimus commisimus et tenore presentium commictimus fidei nostro magnifico viro Petro de Medue regnorum nostrorum Dalmatie et Croatie bano eiusque vicebano et aliis nostris banis et vicebanis predictorum regnorum nostrorum in futurum constituendis quod ad omnia supradicta vos cogant et compellant cum vestris grauaminibus si expediet auctoritate nostra presentibus eis attributa mediante. Presentes quoque sigillo nostro maiori quo vt rex Hungarie utimur fecimus consignare, quas post lecturam semper reddi iubemus presentanti. Datum Bude in festo sancti Valentini martiris anno domini millesimo CCCCmo duodecimo, regnorum autem nostrorum anno Hungarie etc. XXV, Romanorum uero secundo.

Litere prenotate domini regis prenotato capitulo Spalatensi nunc directe fuerunt copiate et rescripte per me notarium Iacobum de Penna nunc notarium iuratum communis Spaleti ad ciuilia et criminalia deputatum de commissione canonicorum capituli prenotati sub (*zacrnjenu riječ nije moguće pročitati*) dicto millesimo et die XXVIIo mensis martii, indictione quinta.